



Colonia, Dominique de

Dominici de Colonia Compendium vitae Sancti Ioannis Francisci Regis
Societatis Iesu prim. gall. script. nunc latine redditum ab alio eiusd.
societ.

Monachii 1738


Augsburg, Staats- und Stadtbibliothek -- Th L 128
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11288049-6
VD18 12108197-001







Th. L.

128





Collegii Soc: Iesu Auguspe 1763.



BEATO IOANNI FRANCISCO REGIS È
SOCIETATE IESU mortem suam prævidenti
ideoque ex humilitate in Stabulum deportari
petenti apparent Christus et Beata Virgo.
Simon Sondermayer sc. a. v.

63
COMPENDIUM
VITÆ
S. JOANNIS
FRANCISCI
REGIS
Societatis JESU.

Primūm Gallicè scriptum
à P. DOMINICO DE COLO.
NIA Soc. JESU.

Nunc latinè redditum
Ab alio ejusdem Societatis.

Permissu Superiorum.

Impressum

Sumptibus aureæ Eleemosynæ
S. Joannis Baptistæ.

MONACHII.

Tpyis Mariæ Magdalcnæ Riedlin,
Viduz, 1738.



WILLIAM WOOD
THE FIFTH
EDITION OF P.
1000

WILLIAM WOOD

EDITION OF P.

WILLIAM WOOD

EDITION OF P.

WILLIAM WOOD



COMPENDIUM VITÆ
BEATI PATRIS
JOANNIS
FRANCISCI
REGIS
E SOCIETATE JESU.

CAPUT PRIMUM.

*B. Joannis Francisci ortus, &
tenor vite usque ad ingressum
Religionis.*

Beatum Joannem Franciscum Regis orbi dedit ultima Januarij dies anni 1597. in exiguo Occitaniae inferioris oppido, cui Fonti operto nomen est. Joanns Pa-

*Beati or-
tus.*

ter , & ipse Joannes dictus , cum
Matre Magdalenâ d' Arcæâ ,
quanquam antiquâ & nobili pro-
fapiâ ambo insignes essent , in-
violabilis tamen suo in fidem or-
thodoxam studiô haud paulò e-
rant Illustriores.

Filios illis bene multos propi-
tiū cælum concesserat , qui Mar-
tis castra secuti in superioribus ,
quæ pro Deo & fide gesta sunt ,
bellis laurum non unam messue-
runt , Viam Joannes Franciscus
diversam inijt , atque ut suō mo-
dō Hæresi & impietati bellum in-
diceret , totum se litterarum &
virtutis studio addixit .

Indoles & Educatio , quâ illum sanctâ
educatio. Parentes informârunt , gustus te-
ner & vividus , quo erga divina ,
infantiæ annos necdum egressus ,
affici videbatur , horror pecca-
ti , quem jam tuim ingentem præ-
seferebat , singularia quædam
Providentiæ specialis , ejus invi-
gi-

gilantis indemniti , specimina
jam eo tempore eminentem illum
prænuntiare sanctitatis gradum
videbantur , ad quem à Deo vo-
cabatur.

Constat tum ex Canonizatio-
nis , ut vocant , processu , tum <sup>Varijs pe-
riculis di-</sup>
ex testimonij fide dignis , Joan- ^{vinitus e-}
nem Franciscum elapsis paucu- ^{ripitur.}
lis à suscepto baptismatis lavacro
diebus , incertum qua ratione , è
cunis sublatum , & , postquam
diu nequidquam inquisitus fuis-
set , tandem sub lecto pannis &
fasciolis evolutum , salvum ta-
men & incolumem repertum
fuisse.

Novum , idque non minùs lu-
culentum divinæ providentiæ &
tutelæ pignus tum accepit , cùm ,
adhuc Puer , tempore æstivo ru-
ri sub arbore somnum captans ,
phantasiæ vehementiâ eò est ab-
reptus , ut sub ipso somno sese e-
rigens ad usque fluminis cuius-

dam marginem procederet eō locō, ubi littus præruptum, & aqua erat profundior. Sensit ille, manu non aspectabili se retineri, & evigilavit eō temporis momentō, quō in fluvium præceps abire jamjam parabat.

Hinc re- Accidit ea res Joanni Franci-
ligio erga sco, cùm Biterris in novo Colle-
S. Ange- gio, quod Patres Societatis JESU
lum Cu- erudiendæ juventuti aperuerant,
stodem, & primis linguae latine rudimentis
sanctoris operam daret. Considerationes,
vitæ pri- quas super tantis in se Cœli favo-
mordia. ribus, quanquam adhuc Puer,
facere non omisit, illius in Tute-
larem Angelum pietatem mirum
quantum auxeruut, atque ut Dei
obsequio sese totum ex asse con-
secraret, permoverunt. Cœpit
ab eo tempore omnis generis lu-
dis, & innocentissimis etiam vo-
luptatibus sese penitus interdice-
re. quin eam quoque legem sibi
statuit inviolabilem, ut ne un-
quam

quam in pomerium, quod Collegio Biterrensi imminet, pedem inferret, unde prospectus per amoenissimam amplissimamque planitiem mira oculorum voluptate ad mare porrigitur.

Literarum studia, oratio, piorum librorum lectio, & ea, quæ scandis a pietatis gratiâ fiebant, conveniuntus unici erant Joannis Francisci, sibi, occupatio, unicæ delitiae, dominicis præsertim, festisque diebus, quorum partem maximam in templi cujusdam facello lacrymis perfusus, & cor suum in Servatoris præsentia calentissimis suspirijs effundens transigebat.

Soliditas virtutis præclara in dole, diligentí educatione, & insigni, quem brevi fecit in literis ad virtuprofectu suffulta magnam illi apud Condiscipulos autoritatem conciliavit, qui jocos & cavillos, quibus Joannis inodestiam & pie- tatem initio fuerant insestati, non

multò post in reverentiam , ut
fieri amat,& venerationem com-
mutarunt. Adinvenit modum ,
quô ex eorum numero senos, qui
prudentiâ præstabant , sibi ad-
jungeret , & ex ijsdein præscri-
ptâ , quam omnes observarent ,
vivendi methodô parvam quan-
dam Sodalitatem studiorum, mo-
rum , & geniorum similitudine
perfectè unitam conflavit. E-
rant illis oratjonis & studiorum
tempora statis diei horis, ferè pro
Seminariorum more , definita.
Ad mensam pium libellum Ana-
gnostes designatus prælegebat.
Sermo illis non aliis, nisi qui sa-
lutaria contineret , & audienti-
bus prodesset. Examen consci-
entiæ ante, cubitum quàm con-
cederent , accuratum institue-
bant ; quot itein Dominicis die-
bus verbi Dei explanationi inter-
erant , & dape angelica pasce-
bantur. Domō perraro , neque
ferè

B. Joannis Francisci Regis S. J. II
ferè nisi ad Collegium aut Eccle-
siam prodibant. Neq; aliter par-
va hæc communitas Joannem
Franciscum , à quo animabatur,
quàm veluti suum in via spiritua-
li Magistrum reverebatur.

CAPUT SECUNDUM.

*Vivendi ratio in Societate JE-
SII usque ad Sacerdotium.*

Tenuit eam vivendi metho-
dum Joannes ad annum us-
ætatis 18.um, quin interea, que in
porrò vitæ statum amplecti vel-
let, satis apud se statuisset. At ^{A morbo}
vehemens ægritudo , à qua de- ^{restitutus,}
ductus ad extrema , contra o- ^{Socie-}
nniuin tamen expectationem ^{tem in-}
convaluit, illum , ut divinæ glo- ^{greditur.}
riæ & animarum saluti in Socie-
tate JESU procurandæ se totum
consecraret, permovit, in quam
etiam post ardentes preces ad-
missus, Tyrocinium subiit Tolo-
fæ anno Christi 1616. ætatis 19.

Novo

In Tyro- Novo hoc in statu constitutus
cinio per- nihil antiquius habuit, atque ut
fectionis propriæ sanctitatis opus, quod
studiosus. in multum jam promoverat, ad per-
 fectionis apicem perduceret, fa-
 ctus Tyronibus etiam ferventissi-
 mis observantiae regularis & fer-
 voris exemplar. Certè mortifi-
 cationis studio ita se totum addi-
 xit, ut, nisi fervorem intempe-
 stivum Moderatorum imperia
 cohibuisserent, sanitatem assum-
 ptis pœnitentiæ austерitatibus
 pessum brevi daturus fuisset. E-
 minere tamen in eo præ reliquis
 visæ sunt quatuor illæ virtutes,
Quatuor quas tantis habuit in amoribus,
principiæ quibusque quasi notâ characteri-
virtutes sticâ insignitus per reliquum vitæ
sextatur. decursum fuit, humilitas videli-
 cet, odium sui, amor Pauperum,
 & zelus divinæ gloriæ. Tum
 præsertim, cum sancti Saturnini,
 qui primus rectè credere Tolosa-
 tes docuit, Basilicam & reliquias
 cre-

crebriùs visitaret, suum geminari fervorem, sibique peccus ardentí illo desiderio succendi sentiebat, quô totô vitæ spatiô æstuvit, vitam nimirum evangeli-
cam Magni hujus Galliarum A-
postoli propriùs imitandi, & ejus-
dem vestigijs in sanguinis quoque
sui pro Christo effusione preßliùs
insistendi.

Editis post exactum tyrocini- *Litera-*
um Religionis votis, Cadurcum *rum stu-*
missus, ut aliquod ibi facultatis *dijs pietæ-*
oratoriæ fundamentum poneret, *tem exi-*
inde anno insequenti Turnonem *miè jun-*
cursum inchoatus philosophi- *git.*
cuin translatus est. Hæc Joan-
nis Francisci ad scientias aridas
& abstrusas applicatio spiritum
illius neutiquam arefecit. Ar-
tem callebat, etiam dum stude-
ret, orationem prosequendi, tum
studia sua ad Deum unicè refe-
rendo, tum eadem repetitis per
intervalla, brevibus quidem sed

ardentissimis aspirationibus con-
diendo. Tempus suum oratio-
nem inter & literarum studia ita
dispertierat, ut nihil omnino ex-
ercitationum spiritualiū ordinem
unquam turbare aut pervertere
posset. Animō erat semper col-
lectō & sanctitatis quidam radi-
us, qui resplendere in eo vide-
batur, in causa fuit, ut applica-
tione communi Collegij Angelus
diceretur; & eo etiam nomine,
quoties in publicum prodiret,
designaretur.

*Adhuc
Scholasti-
cus domi-
num, in pa-
gis ple-
bem ex-
bortatio-
nibus eru-
dit.* Ut ad ministerium evangeli-
cum maturè se formaret, Famu-
los Domesticos, & mendicabula
Famuliti- in se instruenda suscepit, quibus
um, in pa- etiam Collegij eleemosynam sta-
tis intra hebdomadam diebus e-
rogabat. Festis item & domini-
cis Patrum uni eodem, quo ipse
ardebat, spiritu animato sese Co-
mitem adjungebat, & in pagos
Tur-

Turnonii circumiectos pro concione dicturus excurrebat.

Post prima hæc zeli sui tentamina oppidum Andancæum apostolicis laboribus excolere aggressus, intra spatiū temporis non magnum, pravam jurandi consuetudinem, ebrietatem, impudicitiam inde exesse jussit: lites composuit, familijs domibuscque integris certam rectè vivendi normam præscripsit, frequentem Pœnitentiæ & Eucharistiaæ usum instauravit, sanctissimi sacramenti Sodalitatem instituit, & regulas atque statuta tam menti insancti operis concinnavit, quod deinceps longè latèque propagatum est, alium tamen authorem non agnoscit, nisi Joanne in Franciscum annum ætatis 23. um tuim necdum egressum. Odor porrò sanctitatis, quo Joannes oppidum hoc Andancæum afflavit, hodièque inibi perseverat.

Phi-

*Scholis
babendis
admotus.* Philosophiæ curriculum emen-
sus Billorum , tum auscios , in-
de Anicum missus est ad traden-
das literas humaniores. Sta-
diūm hoc,in quo per septem om-
nino annos se exercuit , prælu-
dium quoddam aut tyrocinium
fuit illius , quod totō deinceps
vitæ spatiō percurrere parabat.
Neque fortè quisquam aliis illud
D. Hieronymi effatuī meliūs im-
plevit , quo de Origine pronun-
tiavit , eum non alio fine teneras
Discipulorum mentes scientijs
humanis expolijsse , quām, ut ijs-
dem fidem & amorem Christi
JESU mature implantandi occa-
sionem nanciseretur , vel *ut eos*
Discipu-los sancte excolit. (verba suut Hieronymi) occasio-
ne sacerularis literaturæ in Christi fide
institueret. Sanctus Professor
noster exercitationum scholaсти-
carum cursum læpius àbrumpe-
bat , ut ad amorem divinum
Discipulos excitaret; quod tanta
sem-

semper Spiritus unctione, tanto
cœlestis fervoris impetu præsta-
bat, ut omnes una cum ipso in
lacrymas diffuerent. Idem ex-
actâ scholaisticae disciplinæ obser-
vantiâ ab alijs facile discerne-
bantur. Magistrum suum omnes
veluti sanctum reverebantur.
Post annos 50 jam elapsos etiam- *Unum*
num collectas à se virtutum ipsius jam con-
synopses exhibebant, & prodi-
giuum ab ipso subinde patratum *clamatum*
& à se visum prædicabant, cùm *valetudi-*
nini resti-
tuit.
Condiscipulorum suorum non-
neminem à Medicis jam deposi-
tum fusis duntaxat precibus pri-
stinae redderet valetudini.

CAPUT TERTIUM.

Sacerdos factus Missionibus va-
rijs addicitur; quenam in ijs
gesta.

Vlx sacerdotio Tolosæ; ubi
Theologiæ operam dabat;

*Pestiferis
inservit.*

initiatus fuerat , cùm illi Deus
preciosam suæ charitatis in novo
hoc munere exercendæ occasio-
nem subministravit. Invaserat
urbem Toloſanam annô post
Christum natum milleſimô ſupra
ſexcentesimum trigesimô lues pe-
ſtifera , & horrifīca plurimorum
ſtrage impotenter graſſabatur.
Joannes Franciscus tandem à Su-
perioribus , quam ardenter ex-
petierat, facultatem obtinuit, pe-
ſte infectorum obſequijs ſeſe con-
ſecrandi. Non tamen illi fors
obtigit, quam votis incenſiſſimis
optaverat, in actu charitatis tam
heroico cum compluribus alijs
ſuorum Fratrum vitam finiendo.
Verūm ſi mors ipſi, at ille certè
morti non defuit. Majoribus il-
lum Deus laboribus, & Occita-
niæ, Vivariensium, atque Velau-
norum sanctitati per missiones
procurandæ reservabat , quibus
ſancti Francisci Xaverij , cujus
ma-

magnus Imitator fuit, exemplô, decem postremos vitæ annos impendit.

Missionibus igitur habendis superiorum imperiô destinatus, easdem sub æstatem quidem in uribus, brumali verò tempore ruribus, & in pagis obire statuit, probè gnarus, hac anni tempestate Ruriculas se reperturum minus impeditos, sibi verò ampliorem patientiendi materia m obventuram. Civitatum prima, quæ tanto operi vacantem vidit, Mons Pef-
fulanus fuit, ubi spatiô temporis perexiguô conversiones prorsus insignes procuravit. Ibidein familijs quibusdam egestate pressis de magnis & liberalibus eleemosynis prospexit; atque ut charitatem suam æternitati transmitteret, in Captivorum favorem triginta illustriorum ea in urbe Matronarum Societatem erexit. Unam tamen ex difficillimis victo-

Tum præ- rijs tunc reportavit, tunc solidif-
cipuè do- sinum collegit sui zeli fructum,
mum Re- quando post contradictiones in-
fugij in- numeras & immensos labores ,
stituit. tandem prodigiosâ meretricula-
rum perditarum multitudine tur-
bem ita purgavit , ut crescente
in dies ejusmodi propudiorum ad
frugem à sua turpitudine reverso-
rum copia, neceslum fuerit , ijs
recipiendis domum construere ,
quam ab eo tempore *Refugium*
dixêre.

Ob virtu-
tem &
fructum
in Missio-
nibus vul-
go Sanctus
appella-
tur.

Missio Sommeriensis & pago-
rum circumiacentium messein
illi nihilô minus abundantem suf-
fecit Populi illi, quam in Joan-
go observabant , vitæ sanctimo-
niâ permoti , eundem quasi Ho-
minem ad sanctitatem suis quo-
que animis inferendam cœlô de-
lapsum suspexerunt. Ad illius
conclaves effuso cursu conten-
debatur ; neque aliud sub ijsdem
præter suspiria & singultus erat

au-

audire. Peccatores etiam maximè indurati , fœminæ etiam dissolutissimæ , Hæretici etiam maximæ pertinaces, ejus tandem argumentis & rationibus succumbebant , victasque porrigebant manus. Heroa sua magnanimitate solus ille & unicus in Sommeriensi vicinia integrum stitit militum cohortem , qui templo vim parabant , in quod Rustici ab illorum rapacitate sibi metuentes cum eo , quod domi optimum habebant , convolaverant.

CAPUT QUARTUM.

Petitus ad Missionem per Diæcesin Vivariensem , quomodo eandem objerit.

VErùm primæ hæ missiones aliud non fuerunt , nisi rudes quædam adumbrationes illarum , quibus Dei Famulus haud multò

post trium annorum spatio tra-
ctum Vivariensem excoluit. Ne-
mo facilè cogitando assequetur,
quām deplorandus fuerit illius
Miseria. Provinciæ status, cùm Sanctus
bus Pro- noster Apostolus illuc appulit.
Vinciæ Vi- Calviniana lues, quæ à Sæculo
varienfis. circiter ibi latè dominabatur, ali-
quam sibi monumenti speciem in
montibus illis circumdederat, o-
mnieousque Galliæ Regum po-
tentia impervium. Antiquam
Religionem hæresis ita deforma-
verat, & erat ubique tam crassa
legis divinæ ignorantia, ut Chri-
stianismi præter inanem um-
braim nihil admodum esset reli-
quum: quod unum restabat, e-
rant Ecclesiæ nonnullæ semiru-
tæ, & externæ quædam cere-
moniæ. Ex fidei corruptione,
ut semper solet, morum quoque
depravatio, ex radice nempe pes-
simæ fructus pessimus enatus fue-
rat. In montibus illis vix alij,
quam

quam de cædibus , latrocinijs,
morum dissolutionibus , & usuris
sermones audiebantur. Vitia
quoque Hæreticorum , quorum
ibi erat amplior potentia, ad Ca-
tholicos funestô contagio tran-
sierant.

Sed illuxerat tandem felix illud
divinarum super hac Provin-
cia misericordiarum momentum.
Fervens noster Missionarius ab
Episcopo Vivariensi accitus, ad-
nitente Præsulis ejusdem Genera- *Quem ta-*
li Vicario , populorum istorum men brevi-
corda ita immutavit, ut post mis- in melio-
sionem sibi prorsus dissimiles, non rem mu-
amplius noscerentur ; felici me- tat Bea-
tamorphosi in Homines omnino tus.
alios transfierant. Turpis licen-
tia , & dissoluta morum libertas,
quantumvis altas egissent radi-
ces , invictæ tamen viri sancti
sermonum vi & efficaciæ heroï-
câ patientiâ , quòdque illum co-
mitabatur , miraculorum dono

suffultæ tandem cedere compul-
sæ sunt. Vidisses, intra breve
temporis spatum disparere scan-
dala, pietatem reflorescere, san-
cta legis Christianæ instituta ni-
tori pristino eò promptius resti-
tui, quò sese vir sanctus regioni-
bus illis profundius inferebat.
Venienti pagi integri in occur-
sum procedebant. Quotquot
erant in vicinia, montes hymnis
sacris & jubilis ejus adventūs nun-
tijs personabant. Accurrentes
etiam viculorum in via, qua
transibat, positorum, incolæ
turbam, quæ illum insecura jam
priùs fuerat, magnō numerō au-
gebant. Id vel ex eo, quod se-
quitur, facile quisque perspe-
xit.

*Summa
inde æsti-
matio &
ad illum
accursus.*

Retulit Testis fide dignus, se-
cùm eo tempore montes illos
trajceret magnam hominum si-
mul procedentium vidisse multi-
tudinem, cùmque quid illud ef-
set,

set, quidve confusæ illæ voces, quas audiret, sibi vellent, interrogasset, id se responsi retulisse: *Est, inquietabant, Sanctus, qui transit plurimum pagorum Incolis contantibus.* Iter suum prosecutus videt in magni cujusdam oppidi ingressu ingentem Hominum inde erumpentium, & præcipiti cursu festinantium catervam. Quærerit ille, quorsum Homines illi tam festini properent: audit, ire illos in occursum appropinquantis Viri sancti. Subit denique vicum, cui à S. to Andrea nomen est, & videt ante Parochiæ templum prodigiosam populi multitudinem, quæ illuc tum ex eo vico, tum ex locis vicinis confluxerat. Percontatur nonnullos, quid ibi rerum agerent; Respondent: *Præstolamus sanctum, qui, ut missionem auspicetur, huic contendit.* Ea erat de Dei famulo communis omnium opinio.

Etiām Hæretico-rum. Ipsiusnet adeo Calvini asseclæ, vitam Patris austeraam & legi Evangelicæ omnino consonam cum commoda & ad mollem mundi genium conformata Iuoruim Ministrorum vivendi ratione conferentes, eum dicentem audituri Catholicis sese jungabant, fueréq; inter illos primæ noctæ complures, qui felici sorte ad Ecclesiæ gremia redierunt.

Eventus quidam prodigiosi. non sanè parūm contulerunt ad authoritatem sancto huic Apostolo in suo munere conciliandam. Paucis diebus à suo in Parochia Marlhesiensem adventu fœminæ quædam cum Patris pallium multo usu detritum in laciniis videret defluere, petijt illius reficiendi licentiam, & impetravit. Existimatio, quam de Viri sanctitate conceperat, eam permovit, ut resectas laceras quasdam particulas servaret, & veluti

Iuti pretiosum cimelion custodiret. Remuneratus est non multò post impensam servo suo charitatem Benignus Deus duplici prodigiō super duabus fœminæ prolibus patratō. Earundem una hydropisi, altera febri continua ardentissima laborabat; utriq; Mater ex memoratis frustulis unum applicat; Et ecce! sine mora proles utraque convalescit. Ex ijsdem frustis velut ex fœcunda scaturagine complures deinceps prodigiosæ curationes profluxerunt.

CAPUT QUINTUM.

*Translatus Anicum eam urbem,
& vicinum agrum prodigiosè
excolit.*

SEx anni abjerant, ex quo B.
Pater in Occitania & agro
Vivariensi divini Verbi Semen-
tem spargebat eō, quo dictum
est,

est, successu & fructu cùm à Moderatoribus in Collegium Anicense missus est, ubi quatuor postremis vitæ annis comimoratus, eam semper tenuit, quam sibi præscripscerat, agendi rationem, frigente scilicet bruma ruri missiones obeundo, &, quod anni erat reliquum, in urbe Apostolicis laboribus insumendo.

*Anicien-
sium mores
qui tunc
fuerint.*

Magnam equidem nominis celebritatem Anicum Velaunorum Metropolis constantiâ suâ sibi comparaverat, quâ factum est, ut improbis hæreseos, quæ totam latè viciniam infecerat, conatibus nihil mota, antiquæ veræque fidei semper devota permaneret; at fidem tamen suam incolæ propriae morum dissolutione, impudicitiâ præsertim & blasphemis, quæ palam & impunè regnabant, indignam planè in modum habebant.

Aniciensium Antistes magis
adhuc zelo & pietate quàm eru-
ditione & illustri profapia com-
mendandus sanctum nostrum
Apostolum velut Angelum ad
reformandam Diœcesin sibi con-
creditam de Cœlo missum exce-
pit. Eo præsule jubente P. Joan-
nes Franciscus anno æræ Chri- *Instructio-*
stianæ millesimo sexcentesimo nes Cate-
supra trigesimum sexto in Colle- *cheticas*
gij Templo de suggestu verba fa- *summo*
cere, &, quas vocant, instructio- *cum afflu-*
nnes habere cœpit. Quanquam Nobilium
autem ista simplici tantùm po. & Docto-
pello destinarentur, alios tamen rum ha-
clarissimos quosque ex Ecclesia- bet.
sticis etiam & Religiosis viris au-
didores attrahebant ; eratque
tantus confluentium numerus, ut
duabus, tribusve horis ante, sug-
gestum Pater quàm conscende-
ret, oecupata jam viserentur
scamna locaque omnia. Imò
cum tandem populi affluentis
mul-

multitudinē templi angustiæ non caperent , transeundum fuit ad Ecclesiā D. Petri & in eo erigendi suggestus complures, qui tamen auditoribus, quorum quatuor aut quinq; millia conveniebant, non suffecerunt.

*Quis hā-
rum in-
strūctionū
modus &
fructus.*

Utebatur serinone simplici, sine arte, sine fuco ; eratque illi eloquentia infusa potius quàm naturalis, aut studio acquisita. Sed rem pronuntiabat ardore cœlesti adeo , ut nemini non persuasum esset, ex Patris ore Spiritum Divinum loqui ; neque quisquam erat, qui non eam elocutionis simplicitatem adscititiae & diuturnō studiō conquisitæ concionatorum etiam peritissimorum elegantiae multū anteferret. Prodigiosi omnino fuerunt fructus , qui sermones ejus consecuti sunt. Ecclesia Aniciensis post spatiū temporis non magnum novam, sanctiorēmque for-

formam induit, adeo, ut magna
hæc civitas, omnium priùs vicio-
rum cœno immersa, digna brevi
evaserit, quæ sanctissimis Regni
totius urbibus accenseretur.

Totius Diæcesis Generalis Vi.
carius amicus Viro sancto con-
junctissimus, qui etiam in Testi-
bus pro canonizationis, quod ^{Testimo-}
aiunt, processu interrogatis esse ^{nij Gene-}
voluit, de hac Aniciensium ad
frugem reductione loquens, bre-
vi rerum Anicij bene ab eo ge-
starum synopsi & compendiaria
quadam relatione, quæ tamen
omnibus orbis totius elogijs me-
ritò præferatur, testimonium
suum ita concludit: *Illum ego sem-*
per velut Angelum suspexi propter
morum integritatem, velut genui-
num exemplar, & dignum S. Fran-
cisci Xaverij Fratrem propter zeli ar-
dorem, velut Patrem pauperum pro-
pter charitatis præstantiam, velut
sanctum primi ordinis, propter vir-
tutum

*nium de
hoc Vica-*
ratis.

zutum omnium tam Christianarum
quam Evangelicarum collectionem.
Eundem etiam, quotquot sunt, anti-
cienses incolæ semper susþpexerunt,
hodiéque suspiciunt non modò ut
Sanctum, sed veluti suæ civitatis
Apostolum, quam tum sermonibus
tum exemplis suis instruxit, ad fru-
gem revocavit, sanctamque reddidit,
in eum finem nec quieti, nec famæ
imò nec propriæ vitæ parcens, quam
pro animarum salute in perpetuum
obtulit sacrificium.

CAPUT SEXTUM.

Peculiare ejus studium in ex-
tirpanda blasphemia, & libidine.

PEccatum, quod majore tum
contentione, tum etiam suc-
cessu oppugnavit, fuit blasphe-
mia, cuius horror amaras ipsi
lacrymas eliciebat, & tantum
nonnunquam corporis totius fre-
mitum & tremorem excitabat, ut
ani-

animō linqueretur. Infami hoc *Integram*
scelere certæ præsertim conditio-
tionis Homines præ reliquis labo-
rabant. Cùm Vir Dei semel ad
D. Petri pro concione diceret ,
quotquot aderant illius conditio-
nis, omnes ad aliud sermonem
in Collegij templo habendum in-
vitavit. Die statuta cùm eō lo-
ci convenissent, abominandum
illud vitium tantō spiritūs ardore,
eloquentiâ tam vehementi est in-
fectorius, ut omnes terrore com-
pleret. Neque verò sterilis, &
sine fructu is terror fuit. Sermo-
ne namque ad finem perducto
unanimi & elata voce conclamârunt omnes , se de cætero ,
quoad vita superstes foret, nec te-
merè unquam juraturos, neque
blasphemias in cœlum voces ja-
ctaturos. Idem promissum cùm
templō egressi unus post alterum
innovarent, addebat , certum
sibi esse, mille potius mortes subi-

C re,

re, quām ab eo, quod tam sancte spopondissent, vel latum ungue in recedere. Neque his contenti, communī omnīū suffragiō decrevere, suo corpore, & societate in perpetuum exclude-re, quisquis frangere datam fidem, & promisso tam solenni contraire temerarius præsume-ret; quin ex ijs plerique post dies aliquot repetitā à primis vitæ annis peccatorum confessione inter complura animi verè contriti testimonia contractas sordes expiārunt.

*Domum
Refugij
moljens.*

Haud paulò ampliùs difficultatis offendit Dei Famulus in exe-quendo consilio, quo molieba-tur infinitum prope perditarum Muliercularum numerum ex sce-lerum & perditionis abyssō edu-ctum una eadēmque domo con-cludere. Nunquam fortasse aliás pium opus tam pertinaci su-rore oppugnatum est; Et verò B.

Patris,

Patris conatus omnes plus centies in irritum cecidissent, si in laniis improborum Hominum clamoribus, terrificis, quæ hac occasione subiit, periculis, contradictionibus, quas à Viris etiam probis sustinere oportuit, dimoviri à proposito potuisset.

Furens quædam & proterva Hominum perditorum & in scelerate obfirmatorum turba, impia sua molimina novô hoc consilio & ærumna disturbari non ferens, vindictam ab illius authore repetere communi omnium calculo decrevit. Et sanè passus est ab ijs bonus Pater persecutioes atrocissimas, quarum, cùm una alteri serie non interrupta succederet, finis alias non fuit, quam qui etiam Patris vitam denique terminavit. Non contenti tum Refugij (id erat nominis Fœminarum à turpitudine reductarum domicilio) tum Patris etiam famam cruentis scriptis

quaquaversum disseminatis pro-
scindere , ipsi etiam Patri exiti-
um multoties machinati sunt ;
sicutque Anicij instar miraculi ha-
bitum , quod tot Hominum , qui
in ejus necem conspiraverant ,
vindictam evaserit. Fuit , cùm
eum quatuor armati magno fu-
rore semel adorti tam male infli-
ctis verberibus multarent , ut
Pænè pro- mortuum crederent. Alias cùm
digiosè su- de nocte moribundi cuiusdam
perat. confessionem excepturus domo
prodijisset , Flagitosi quidam Ne-
bulones , quorum interverterat
sceleratum commercium , eum
ut interimerent , propius accessse-
runt ; sed ad primam Patris vo-
cem violento terrore perculsi in
terram resupini corruerunt.

Alapa
percussus
ab Juve-
ne, eun-
dem sua Juvenis unus quispiam simili
de causa irritatus , Patrique infen-
sus , cùm eundem in publica qua-
dam platea obviuim habuisset , &
verbis primo contumeliosissimis

ex-

excepislet, sonante demum alapâ *Mansue-*
percussit. Vir sanctus sine ullô *tudine ad*
animi vel leviter commoti indi- *frugem*
cio consilium fecutus evangeli- *reducit.*
cum, alteram quoque maxillam
percutiendam offert. Eô mo-
mentô Juvenis obstupefactus, &
tantô moderationis exemplô
commotus ad Patris seie pedes
abiicit, & bruti furoris veniam
manantibus ubertim lacrymis
exposcit. Annis subinde aliquot
elapsis cùm Dei famulum Lalo-
vesci diem suum obiisse compe-
risset, objecta denuo sui criminis
imagine turbatus, quietis capere
nihil potuit, dum Defuncti se-
pulchrum adiisset, & coram ejus
se se cineribus prostravisset. Ex-
egit ibidem diem solidum conti-
nuis perfusus lacrymis, ut culpam
elueret, quam eluere vel effuso
sanguine voluisset. Singulis de-
inceps annis, quoad vixit, viri
sancti sepulchrum semel adire

perrexit, ut solemnem, quam debere se Illi credebat ignominiae reparationem, eō pactō innovaret.

*Domum
Refugij
denuque
post innu-
meras dif-
ficultates
fundat.*

Ex tot tāinque violentis contra Refugiuin exortis tempestatibus felix capiebat augurium B. Pater, probè gnarus contradictiones esse proprium operum divinorum characterem. Neque vero sua Illum exspectatio defellit. Intrepidus Patris animus tandem, quem sibi præfixerat, scopum attigit; magnō suō solatiō manum ultimam ædibus illis admotam vidit, quæ hodiéque stant, stabuntque perpetuum zeli ejusdem, animique magnitudinis monumentum.



CA-

CAPUT SEPTIMUM.

Mirificus amor & cura erga pauperes.

Inter ea, quæ B. Patri in munere suo efficaciam, & in omnibus, quæ suscipiebat, negotijs authoritatem conciliabant, primum facile locum obtinet ardens ejusdem, & fatigari nescia charitas in pauperes, quorum vulgo Pater audiebat. Semper ad manus, & præ oculis catalogum habebat, in quo incolas egentiores, & eorum varias indigentias, tuin etiam matronas &c. omnes charitatis præ cæteris studiosas notaverat, quæ subvenire aliorum egestati possent. Harum cuilibet certam urbis regionem, & in ea certum egentium numerum assignaverat, quibus de rebus ad vitam sustentandam necessarijs providerent. Cùm languente temporibus dif-

ficioloribus commercio nulla propè esset opificibus lucri faciendi occasio, ipse met pauperum opificum labores & artefacta ad cives ditiores deferebat, & eos spiritu quodam charitatis, ut pro ijsdem majus etiam pretium, quam quō valebant, numerarent, permovebat.

Habebat in urbe quandam **Et vestitu** frumenti apothecam, cuius curam & distributionem piæ ciudam fœminæ commiserat, quæ tamen illud, nisi eō modō, quo ipse jussisset, non dispensabat. Collegij Rector unum illi conclave permiserat, in quo, quidquid in usum pauperum collegerat, recondebat. Habebat in eo repositos calceos, industria vestes, & variam lupillectilem, quæ oīnnia pro cujusque indigentia in pauperes distribuebat.

Sufficien-
te etiam

Cùm ingens frumenti penuria urbem Aniciensem, totam que

que circum Regionem afflixisset, *in difficultate*
 solus ipse pauperes omnes, qui *limis tem-*
nuinero erant propè infinitō *a-peribus.*
 Iendos in se suscepit. Et quan-
 quam alium, quam Providentiæ,
 fundum non haberet; adeo ta-
 men copiosè Patris charitati &
 vigilantiæ Deus benedixit, ut ne-
 mo unquam pauperum dimissus
 sit sine subsidio sufficiente, quod
 cum quadam etiam profusæ li-
 beralitatis specie, quotquot se
 fistebant, omnibus jubebat ero-
 gari. Et ea quidem occasione
 divina tum potentia, tum cle-
 mentia perquam luculenter ef-
 fulsit, cùm triplici prodigio,
 quorum unum semper altero fuit
 illustrius, frumentum iterum ac
 tertio multiplicaverit, ut urbis
 totius testimonio constat.

Cùm illa frumenti penuria
 præquam aliàs vehementius ur-
 geret, mulier illa Patris, apud
 quam Eleemosynas deposuerat,

Non absque
manifesto,
prodigio.

eundem semel accessit nuntians,
ne frumenti quidem granum in
granario superesse, deesse sibi eti-
am pecuniām, qua aliud coeme-
ret. Vir sanctus insuper habito
hoc nuntio fœminæ præcipit, a-
ctutum domum redeat, & mulie-
ris cuiusdam pauperis numerosa
prole gravatæ saccum impleat.
Perge, inquit, neque quidquam oblo-
quere: Invenies in subsidium pau-
peris hujus fœmina, & plurium alio-
rum frumentum copiosum. Paret
illa, domum repetit, granarium
aperit, quod everri, & expurgari
mox ante curaverat, suminōque
animi stupore videt illud fru-
mento quaquaversum redun-
dare. Redit illico ad Patrem
sui præ gaudio vix compos, quod
vidisset, prodigiū narratura;
sed ille, ubi eam confpexit, non
relictō loquendi spatiō, deinceps,
ait subridens, *firmorem in Dei bo-*
nitate fiduciam repone, & scito plena-
sem-

semper esse Dei granaria. Perge
modo, &c., quod accidit, ne cuiquam
pande.

Idem prodigium iterum ac ^{Eoque}
tertiò repetitum est; Eratque ^{tertium}
hoc in multiplicatione tertia sum.^{iteratio.}
Imè mirandum, quòd frumen-
to tantùm accederet, quantum
inde Margaretha, cui dispen-
sandæ stipis curam comiserat,
erogabat. Neque nisi cum de-
finente fame desiit prodigium.
Eventuum adeo mirabilem famam
per urbem sparsâ nemo unus
fuit, qui crimen falsi narranti-
bus objiceret. Sanctus ipse diffi-
teri rem non potuit, quæ in acta
subinde relata est, & habitæ su-
per ea coram Judicibus tum lai-
cis tuim Ecclesiasticis quæstiones
juridicæ, sítque triplex hoc
prodigium à Testibus omnino
omni exceptione majoribus
jurejurandô confirma-
tum,

CA-

CAPUT OCTAVUM.

*Beati Missiones inter Velaunos,
ejusque gesta, & patrata Miracula
Faci agri Velauni oppido, Monte Fal-
conis, & in vicinia.*

Admiranda hæc, quæ B.Pater Anicij patravit, & quidquid ibidem fortiter fecit, & tulit æstivo quatuor postremorum, quibus vixit, annorum tempore, eidem gloriosum Aniciensium Apostoli titulum promerentur ; sed quæ in Velaunorum missiōnibus & fecit, & tulit hyberno eorundem annorum tempore, jure illi non minùs æquo Velaunorum Apostoli titulum adscribunt.

*Missione
ad Indos
non impe-
trata.*

Unum ex flagrantioribus, quibus semper æstuavit, desiderijs illud fuit, quo maria transmittere ad Barbarorum Canadensium animos evangelicâ doctrinâ imbuendos ardebat ; spem

spem namque conceperat non dubiam, futurum, ut sanguinem ibi fundere pro Christo posset plurium ex suis Fratribus exemplô, quibus ea felicitas non pridem obtigerat, sed missione hac post iteratas licet preces non impetratâ dolorem ex repulsa conceptum abstergere conatus est sex in minimum cujusvis anni mensibus missionibus in Velaunorum ^{Eorum loco Velau-} montibus obeundis consecrando, ubi & populi locis compluribus nihilô magis erant exculti ^{nos exco-} atque ad conversionem faciles, quam Hurones aut Hiroquei, & morum tanta erat corruptela, tanta Religionis ignorantia, ut major esse non posset.

Oppidulum, quod Fayam dicunt, quoddam quasi centrum fuit suarum missionum, quibus totam latè viciniam excoluit. Tria prodigia, quibus eò loci munus suum apostolicum auspicata ^{Tria Fajæ} ^{Velauno-} tus

*rum op-
pido pro-
digia pa-
rat*

*Adolescen-
ti à sex
mensibus.*

tus est , mirifice plebis animos comparârunt ad profectum ex Patris salutaribus documentis hauriendum.

Erat Hugoni Sourdono Juris Doctori Viro inter Fayenses non Postremo filius annos natus quatuordecim , qui magnâ humorum in oculos defluentium copiâ pessimè affectus denique oculorum etiam usum à 6. iam mensibus amiserat.

Vir sanctus Doctoris , à quo , ut divertere apud se vellet , enixè rogatus fuerat , ædes ingressus ; viso , quem mox adduxerant ; cœcō juvēne commiseratione tactus cum quibusdām ex Domesticis in preces se dedit . Eodem temporis articulo juvenis visum recuperavit , & exinde in oculis nec humorum fluxum nec dolorem unquam persensit . Id ipse postmodum annos 80. natus interposito jurejurando testa-

testatus est præsentibus Episco-
pis Aniciensi, & Valentino, ad- Et viro
ab oculo
annis circ
visum re-
stituit.
diditque, vulgatâ tanti prodigijs
famâ adductum fuisse Virum
quadragenarium, 8. jam annis
oculorum lumine privatum, cui
sanctus cruce duntaxat signato
videndi facultatem extemplò
reddidisset.

In tertio prodigio Prophe-
tiæ donum eluxit, quo Faimulum
suum optimus Deus exornave-
rat ; Idemque terrore, quem
in peccatores sparsit plurima-
rum ad vitam sanctiorem con-
versionum origo fuit.

Homo quidam publicus obstinato
peccatori
interitum
qui concubinam domi alebat, Conci. prædicit,
dives & violentus à perlongo missiona-
jam tempore magno suis Conci. rius
vibus erat scandalus. Missiona-
rius noster de re vulgo notissima
certior factus hominem conve-
nit, & eidem cum omni, quam
inspirare & charitas & pruden-
tia

ria possunt, moderatione crimi-
nis sui turpitudinem ob oculos
ponit. Verum Homo durus &
intractabilis eum ne aspectu qui-
dem dignatus est; Imo post ali-
quot elapsos dies crebrius à Vi-
ro sancto se adiri non ferens, &
ardentia, suæ tandem ut consu-
lere saluti vellet, hortamenta
pertæsus atrocibus oneratum
convitijs brachiō tandem arri-
pit, & domō exturbat. Non
destitut Vir sanctus quanquam
adeò inhumaniter habitus; Per-
rexit mense integro Peccatorem
induratum quot diebus adire, &
officij commonefacere. Sed
cùm oleum tandem operamque
videret perdi, Hominem postre-
mūm convenit, eidēmque al-
tiore afflatus spiritu imminens in-
felix fatum prænuntiat, & vin-
dictam cœlestem jamjam in mi-
serum caput effundi paratam.
Risit vaticinium Concubinarius;

sed

fed carò luit hanc pertinaciam ; post dies siquidem non multos sclopeti i^{ch}u prostratus vitam sce-leratam finijt, ne momentō qui-dem temporis , quo resipiscere posset , superstes. Punitio tam prompta & aperta multūm sanè contulit ad prodigiosam morum mutationem , quæ in tota Velau-norum Provincia subsecuta est.

Cæteræ quoq; Missiones, quas centūm diversis locis prosecutus est , abundantem cœlestium do-norūm copiam attraxerunt , & omnes prope novō quodam pro-digio insignitæ sunt , quod ad authoritatem & pondus apostoli-cis Patris laboribus conferendum mirificè faciebat.

Parochius, uti & Incolæ Marl- *De crebra
hesienses testati sunt , Virum san-ejusdem
Etum perquam frequenter in ex-extasi.
tas in raptum ; Eundem , cùm
montes suos glacie rigentes per-
reptando crus fregisset , atque*

D sic

Cruris sic in oppidum suum perlatus
fracti pro- eslet, non tamen omisisse, quod
digiosa diei reliquum erat, audiendis sine
sanatione. illa querimonia Confitentibus
impendere, & post horas aliquot
sacro in labore exactas, luculen-
tô utiq; prodigiô crus suū integri-
tati pristinæ restitutum deprehen-
disse. Addunt ijdem, adductum
Et libera- die quadam ad Patrem in Eccle-
tione En- siam fuisse Hominem maligno
ergumeni, spiritu, qui omnibus Ecclesiæ
exorcismis restitisset, plus octo
annis obsessum; sanctum Virum
œulis in cœlum sublati factō
crucis signō eidem bene preca-
tum fuisse, eóq; pacto impurum
Hospitem sic abegisse, ut nun-
quam redjerit.

At nuspia fere vel tam nu-
merosæ vel tam sinceræ fuerunt
animorum conversiones, quam
in Montefalconis, quæ Civitas
Virum sanctum suum veluti Vin-
dicem & Liberatorem ita suspe-
xit,

xit, ut singulis ejusdem Incolis,
vitam se illi debere, persuasum
esset. Res ita habet.

Anno à pariente Virgine 1640. ^{Mante}
Iues pestifera Civitatem hanc ju-^{Falconi}
diciali Prætorio, multâ nobilita-^{Pestiferis}
te, & Civibus admodum opu-^{inservit.}
lentis spectabilem extremâ dere-
pente cœpit violentiâ infestare;
adeo subinde malignô, adeo ra-
pidô malum contagî propagâ-
tum est, ut intra paucorum die-
rum spatum etiam valentissimos
sterneret. Contrahebatur illi-
co, &, quem se mel invaserat,
certâ ruinâ involvebat.

Vir sanctus, qui eō loci Mis-
sioni fecerat initium, & innumerâ
populi ex partibus vicinis accur-
rentis multitudine præventus
fuerat, ne momentô quidem du-
bitavit certæ se morti devovere.
Peste afflictis diu noctuque infer-
viebat, percurrebat infectas do-
mos, cum morte luctantibus

assistebat, obsequia etiam diffi-
cillima ijs, quos malum afflave-
rat, exhibebat; alijs alimenta,
alijs remedia procurabat, omni-
um denique indigentiae, quan-
tâ maximâ poterat, charitate
Urbe in- providebat. Loci Curio, qui &
vitus di- tenero in Virum sanctum amore
scedens. ferebatur, &, si eundem suo
zelo permissum perire sineret,
acerbas multorum exprobratio-
nes verebatur, Patri vitam ser-
vare etiam invito statuit. Quos-
dam ex urbis Primoribus in suam
facilè pertraxit sententiam, & ex
eorum consensu Patri decretum
indicavit, quo jubebatur urbe
exire, nihil interim pensi ha-
bens, quin vel audire abnuens,
quas pro se Pater afferebat ra-
tiones, quásque fusō lacrymarum
torrente adjungebat preces ar-
dentissimas. Idem Curio cum
præcipuis ex urbe Viris abeunti
comitem se præbuit per maxi-
mam

main viæ partem , quam , ut ,
 Montregarditum perveniret , ea
 die emetiri oportebat. Cùm
 in urbem redituri , & à Patre jam-
 jam avellendi essent , Patris ge-
 nibus affusi , sibi ut bene preca-
 retur , rogaverunt. Dei Famu-
 lis omnes comiter amplexus im-
 pelli se sensit , ut eorum à Peste
 liberationem à Deo exposceret. ^{Eidem li-}
 Momentò itaque ad orandum se ^{beratio-}
 colligit ; tum fronte serena : Ma-
 cti animo estote , inquit , propediem
 flagellô , quod vestram depopulatur
 urbem , liberabimini. Die poste. ^{nem à pe-}
 ra uti & subsequenti Montifalco- ^{ste prædi-}
 nis , cuius vicinia non exjerat , precando
 propior factus , eidein post lon- ^{impetrat.}
 gam & ferventem orationem
 tertium bene precatus est. Cæ-
 terum Patris vaticinium , quod
 vulgatum jam fuerat , non mul-
 tò post impletum est ; Necdum
 enim tertia dies abjerat , cùm
 lues , quæ tum maximè sævie-

bat, derepente penitus extincta fuit. Illi ipsi, quos malum jam invaserat, intra breve tempus convaluerunt.

Prodigium hoc accedentibus alijs compluribus auctum & adjutum pœnitentiæ fructus protulit planè singulares; Eodemque hoc anno 1640., qui B. Patris vitam clausit, Aniciensis Collegij Rector Societatis Præposito Generali inter alia complura prescripsit, unum P. Joannem Franciscum Regis intra menses non omnino quatuor confessionum excepisse minimum decem milia, quarum quingentis plures à tota vita fuc- rint.



CAPUT NONUM.

*Divinitus de vicina morte e-
doctus ultimam Missionem Lalovesci
inter summas difficultates instituit.*

PErgebat sanctus Apostolus a-
nimarum sanctitati laborare
ardore non minori, quam suc-
cessu. Jamque in postremos sa-
cri adventus dies Missionem La- *Lalove-*
love
lovescensem indixerat, cum illi scum vi-
Deus speciali quodam lumine lu- *cum igno-*
culenter ostendit fore illam ulti- *bilem pro*
mam, quam obiret, Missionem, *ultima*
neque multum abesse; sui ex hac *Missione*
vita mortali discessus diem. Ut
se itaque colligeret, atque ad sub-
eundum Numinis conspectum
ritè compararet, rediit in Colle-
gium Aniciense, ubi post tres dies
sacro in secessu exactos coram *Ad immi-*
sacro Judice de vitæ totius erra- *nentem*
tis se accusavit, unique amico- *mortem*
rum, cui singulariter confide- *confessione*
bat, planè edixit, proximam *Generali*
se parat.

esse suæ mortis diem; Venisse se proinde, ut ad eam se disponeret, & quid in tanti momenti negotio agendum sibi esset, intelligeret, priusquam novam, suam & postremam Lalovescensem Missiōnem auspicaretur.

Ad eum Anicij retinendum nihil omnium prætermissum est. Erant, qui intolerandum frigoris rigorem, erant, qui viarum illa anni tempestate imperviarum difficultatem, erant, qui alia affer-

*Divinitus
de obitu
suo se e-
doctum
innuit.*

rent. Sed opponebat Pater, Missionem jam indicatam, obligatam fidem suam, quam retrahere integrum non esset, videlicet altiori sese ad abitum perurgeri. Jamjam discessurus cùm interrogaretur, annon ad initium faltem Januarij reversurus esset, ut votorum renovationi assistaret, suaque præsentia totius Collegij fervorem instauraret? respondit lemel atque iterum: Nolle

le Magistrum, ut rediret. Addidit deinde: *Socius quidem meus ad condicām diem presto erit; at ego non item.* Cùm porrò instarent, an igitur rure solus permanurus esset: *Ita, inquiebat, Magister iubet.* Obscura illa responsa quid sibi vellent, tum quidem intellectum non est, sed allatō post decem elapsos dies de obitu Patris nuntiō facile fuit perspicere, quo sensu affirināsset; nolle Magistrum, ut rediret.

Discessit Vir sanctus Collegio *In itinere Aniciensi die 22. da Decembris ad Lalor Anni 1640. mī.* Et quamvis pagus Lalovescensis leucis distet ^{vescenses} ^{summè} ^{ardua.} non amplius septem. Nemo si bi tamen facile persuaserit, quæ, & quanta ultimo hoc in itinere, quod mortem ipsi attulit, perpessus sit. Persona quædam gene re, eruditione, & virtute illustris, quæ à B. Patre ad Ecclesiæ gemitu in ab hæresi reducta eundem

in quatuor ultimis Missionibus inse-
secuta fuerat, & ante annos ab hinc
quatuordecim præsentibus Epi-
scopis Anicensi & Valentino Viri
sanctitatem suo quoque testimo-
nio confirmatam voluit, de supe-
riore illo itinere juridicè sic testa-
ta est. *Erant viæ tam horridæ, ut*
Vir sanctus ad aperiendum transitum
pluribus locis cogeretur glaciem per-
fringere. Nunc manibus pedi-
busque insistens rupes præruptas per-
reptabat, nunc per calles angustos,
lubricos, & ad sitis pone præcipitijs
formidandos labore improbo, conti-
nuo labendi & in subjectas abyssos pro-
ruendi discrimine sursum eniteba-
tur.

Beatum
pleuritis.
annadit.

Cùm Dei Famulum viribus
jam exhaustum medijs in sylvis
nox occupâset, in maceriam
divertit male teatam, ac ruino-
sam, nimbisque & frigoribus la-
tè perviam. Exegit ibidem no-
tein nuda super humo cubans,

&

& aquilonis. vehementissimis furoribus expositus. Cúmque illic sudore perfusus intrâisset, cui frigus ingens. mox successerat, fensit se pleuritide unâ & ardentissima febri cum doloribus violentis correptum. Nihil tamen ista Virum sanctum impediunt, quominus primô diluculô viam prosequeretur, & modô, quam posset, optimô Lalovescum proreperet verius, quam procederet.

Reperit ibidem Ecclesiam Lalove^a ingenti populi, qui ex vicinis scum tam montibus confluxerat, multitudine repletam. Collectis igitur, quæ restabant, viribus initium missioni fecit sermone fervoris. & vehementiae plenô; Et quamvis jamjam moreretur; excipiebant tamen pœnitentium confessionibus, quod diei reliquum fuit, & noctem subsequentem integrum impendit. Die postera, quæ

quæ Servatori erat nascenti sa-
cra, ter omnino ad populum pro
concione dixit , neque residuō
diei spatiō sacro tribunali tun-
quam exijt. Idem præsticit festa
Laboribus
Apostoli.
cis usque
ad virium
defectio.
nem im-
moratur. D. Proto. Martyris Stephani lu-
ce; sed post tertium sermonem
cùm audiendis iterum confessio-
nibus se accingeret, viribus de-
ficientibus deliquum passus est.
Post quartam horæ partem sibi
redditus aliquorum adhuc Rusti-
corum confessiones exceptit in
domo Parochi, quò delatus fue-
rat, atque hi denique tanti zeli
conatus ultimi extiterunt, magnâ
hâc animâ, nisi ad extrema de-
ventum esset, succumbere
renuente.



B. Joannis Francisci Regis S. J. 61

CAPUT DECIMUM.

Francisci Mors sanctissima: Miracula post mortem; adscriptio inter Beatos, & cultus publicus.

Malò in horas ingravescente Patri cuidam Societatis, *Repetit* qui Annonæi tunc morabatur, *Confessio-* & ad ferendum ægro subsidium *nem Ge-* cum Sociorum pari accurrerat, *neralem.* à pueritiae annis ultimum confessus inter incensissimos divini amoris ardores supremis morientium præsidijs munitus est. Die 31. sub vesperum, cùm ab æternitatis januâ quām proximè se adverteret abesse, gaudio prorsus insolenti gestire vius est. Paulò ante medium noctem cœlō aperto Servator cum Matre Virgine illi se spectabilem Christum præbuit, & ad capessendam in cœlo immortalem gloriæ coro. *Videt* nam *cum B. Virgine si.*

*bi appa-
rentem*

nam īvitavit. Cœleste hoc visum tantō illum solatiō perfudit, ut exultantis animi motus continere non valens ad Socium converteretur , & , veluti si ex profunda extasi ad ſe redijſſet, exclamaret : *Ab chare Frater !* quām fausta fōrſ ! quām contentus morior ! *Video JESUM & Mariam,* qui obriam mihi dignantur procedere , ut in Beatorum me Patriam perducant. Momentō poſt oculis in cœlum elevatis clarâ diſtinctâque voce , *JESU Christe,* aiebat , *Servator mi, animam tibi meam commendo , intérque manus tuas repono.* His dictis placidè exſpiravit circa mediam noctem diei ; quæ anni post Virginis partum 1640. mi poſtrema fuit, annos natus 43, quorum 26. in Societate vixerat.

*Inde ple-
nus ſolatiij
pijſſimè
obijt.*

Vix ſanctus Apoſtolus vita hac mortali exceſſerat, cùm illico vicini montes his vocibus per-

personuerunt: *Sanctus mortuus est.*
Stupendus omnino fuit populi ad
exosculandum Beati corpus La-
lovescum concurrentis affluxus;
Et gemitus pauperum, qui funus
comitati sunt, multò ampliùs
Patris exequias cohonestarunt,
quām omnes panegyrici, & om-
nis pomparum funebrium appa-
ratus. Collegium Aniciense Beato
Patri solenni officio parentavit
præter Societatis morem, quæ
id non solet, nisi cùm Præposi-
tus Generalis diem extremum
obijt. Sacrum tribunal, in quo *Parenta-*
Dei Famulus quatuor postremis liæ repe-
vitæ annis pœnitentiæ Sacra- tita Ani-
mentum administrare consueve- cij.
rat, cœpit exinde venerationi
esse magno Hominum numero,
qui sancto suo Patrono vota fa-
turi illuc confluabant.

Beati Patris sepulchrum ma-
gnam brevi ab infinita prope *Accursus*
Peregrinorum illuc ex omnibus *ad ejus se-*
pulchrum regni

ob prodigi-
giosa be-
neficia. |

Regni totius Provincijs accurritum multitudine celebritatem contraxit. Certatim omnes aliquam terræ, qua tumba tegebatur, portionem secum asportare laborabant; Et sane prodigiosus ille pulvis in loca quamplurima delatus in panaceam transiit quibuscunque morbis persanandis opportunain. *An cernis hanc altissimorum, qui ipsas nubes penetrare videntur, montium catenam? Pertranseunt illos Peregrini tantò numerò, ut nihil dubitem, futurum cum tempore, ut montes isti altitudine depressa in planitiem subsidant, totaque regio in liberum, apertumq; campum abeat.* Ita quondam alloquebatur Regionis illius incola viatorem unum aliquem, ut hyperbolicō illo loquendi modō indicaret, quām ingens esset eorum copia, qui Dei Famuli sepulchrum veneraturi montes illos trajicerent.

17901

Cre-

Crescente in dies publicâ populi in magnum Velaunoruin Apostolum pietate, Deoque illum patratis non in Gallia duntaxat, sed etiam in Italia, Hollandia, iñò & Quebeci in Canada & Goæ in India innumeris prodigijs non obscurè approbante; complures magni Præfules de procurando illi cultu publico, qui solis ijs competit, quos Ecclesia suo suffragio in sanctorum numerum retulit, serio cogitârunt.

Archiepiscopus Viennensis, uti & Episcopi Aniciensis & Valentinus, in quorum diœcesibus Dei Famulus vitæ partem maxi- main exegerat, sanctissimo Domino nostro sacræque rituum Congregationi sæpius perscripserunt, B. Patris Joannis Francisci sepulchrum in monumentum venerationis publicæ transiisse, & concursu Hominum infinito,

E pro-

*Agitur de
cultu ejus
publico ob
plurima
miracula.*

prodigiisque continuis illustrari,
quamvis ad illud adeundum
montes oporteat propè inacces-
sos superari. Neque verò ab
humili tantùm vulgô pias ejus-
modi peregrinationes suscipi, sed
etiam ac præsertim à Nobilitate,
Clero, Provinciarum Rectoribus,
supremis exercituum Ducibus,
Episcopis, Archi-Episcopis, ipsís-
que Ecclesiæ Romanæ purpura-
tis Principibus. Ita disertis ver-
bis loquitur epistola, quam Ar-
chi-Episcopus Vieñensis ad sum-
mum Pontificem dedit 11. Oct.
 anni 1710. *mi*, Tam numerosum
 quandoque populum ad Viri san-
cti sepulchrum convenire, ut Pe-
regrinos nocturnam quietem ru-
re sub dio capere necesse sit; Po-
pulos denique grati animi affe-
ctus & pietatis motu abreptos
 contineri amplius non posse.

Accessit tam illustri testimo-
nio duorum supra viginti tum
Archи-

Archis Episcoporum tum Episco-
porum Occitaniæ suffragium , plurimo-
qui omnes unō animō datis 12. ^{rum Testi-}
Jan. A. 1704. ad Clementem un- ^{um.}
decimum literis professi sunt ,
esse se Testes prodigiorum , quæ
Deus P. Joan. Francisci precibus
addictus in Diœcesisib[us] suæ curæ
commissis operari pergeret. Co-
ram Viri sancti sepulchro videre
cœcos , claudos ambulare , sur-
dos audire , mutos loqui , & mi-
rabilium ejusmodi famam omnes
jam nationes pervagata[n].

Cùm suffragio tot tantorum- ^{Quibus}
que Præsulum , quod tanti jam permotus
erat ponderis , accederent tum ^{Sanctissi-}
Christianissimæ Majestatis pre- ^{mus Pater}
ces , tum supplices etiam libelli
oblati à Legatis Nobilitatis , & ^{Clemens}
quadraginta Occitaniæ Civitatū, ^{XI. Fran-}
quæ singulares omnino ab Apo- ^{ciscum Re-}
stolo favores acceperant , & à ^{ni ritu}
Sacra Petri Sede , ut Patrono suo ^{Beatis ad-}
^{scribis.}

tam Benefico Sanctorum hono-
res decerneret, uno animo postu-
labant; tandem Clemens XI. Pon-
tifex Maximus edito 7. Maij an-
ni 1716. decretò P. Joan Franci-
scum Regis Sacerdotem Religio-
sum è Societate JESU, mortuum
Lalovesci Diœcesis Viennensis
 pago Beatum pronuntiavit; qui
honor toti Galliae tanti Viri patriæ
ex eo capite pretiosior sit oportet,
quod inde à S. Ivone, qui anno
millesimo supra trecentesimum
tertio è vivis abiit, id est, unde à
tribus vel quatuor sœculis nul-
lum numeraverit inter Sanctos
solenni apotheosi cœlo asser-
tum, tum etiam quod ab annis
quadraginta nullum viderit orbis
Christianus in Beatorum nume-
rum relatum. Non mirabun-
tur hanc animadversionem, qui-
bus notum est, vix 70. nume-
rari posse, quos Ecclesia spatiō
sex-

sexcentorum circiter annorum,
id est, inde ab Alexandro tertio
Pontifice Maximo, qui vixit sæ-
culo 12.^{mo}, & Ecclesiæ præ-
esse cœpit anno Christi 1159.
solenni decreto Sanctorum
titulô decoraverit.





OFFICIUM
B. JOANNIS FRANCISCI
REGIS
Societatis JESU.
AD MATUTINUM.

V. Domine labia mea apetier.
R. Es os meum annuntiabit laudem tuam.
V. Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio, & nunc, & semper,
& in saecula saeculorum, Amen.

Hymnus.

Quis triumphali super astra curru
Vectus, æternam subit hospes arcem?
Regis adventu resonat tonantis.

Regia Cæli.

Ille dum terras humiliis colebat,
Militans Christo, vitio perenne
Intulit bellum, rediitque sævo

Victor ab hoste.

Antiph. Hic vir despiciens mundum, &
terrens triumphans divitias cælo condidit
ore, manu.

V. Beatus vir cuius est nomen Domini
spes ejus.

R. Ec.

R. Et non respexit in Vanitatem, & insanas falsas.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

D^eus, qui ad plurimos pro salute animarum perferendos labores beatum Joannem Franciscum Confessorem tuum mirabili charitate, & invicta patientia decorasti, concede propitiis, ut ejus exemplis instructi, & intercessionibus adjutis æternæ vitae præmia consequamur. Per Dominum nostrum, &c.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. R. Amen.

AD LAUDES.

V. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, &c. R. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Hunc fides semper generosa, spesque
Firma munivit: viciis iniquum
Charitas fervens, scelerisque puris
Præsticit æquum.

Integer virtus, patiens, modestus,
Gloriae Christi, ac hominum salutis
Semper incensus studio, labores

Passus acerbos.

Antiph. Ecce homo sine quærela, verus
Deiculor, abstinens se ab omni opere
malo, & permanens in innocentia sua.

V. Custodivit illum ab Inimicis.

R. Et à seductoribus tutavit illum.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos &c.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animæ per misericordiam
Dei requiescant in pace. *R.* Amen.

AD PRIMAM.

V. Deus in adjutorium meum intende.

V. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, &c. *R.* Sicut erat, &c.

Hymnus.

Hic probos mores docili Juventæ,
Hic Dei castum ingenerare cultum.
Utilis cunctis, Juvenes, senesque
Abstulit orco.

Pauperum mitis Pater, ipse pauper
Debiles curâ recreavit omni,
Já inque divinâ levat arte fractos

Corporis artus.

Antiph. Beatus iste Sanctus, qui confisus
est in Domino, prædicavit præceptum Do-
mini, constitutus est in monte sancto ejus.
V. In doctrinis glorificate Dominum.

R. Ex

- R.** Et docete homines legitima Dei.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos &c.

AD TERTIAM.

- V.** Deus in adjutorium meum intende.
R. Domine ad adjuvandum me festina.
V. Gloria Patri, &c. **R.** Sicut erat, &c.

Hymnus.

Hæresis vidit, tremuit videndo :
Protinus signis fugiens relictis,
Quos sibi finxit socios proterva
Luger ademptos,
Prodigus vitæ per inhospitalites
Se tulit montes, per & alta saxa,
Territus nullis animus periclis
Acrior instat.

- Antiph.* Iste est Lucerna ardens, & lu-
cens, qui tenebris Hæresum mundo affusis
Lumen fidei adduxit, & frigidis hominum
mentibus charitatis impertivit amorem.
V. Honestavit illum in laboribus.
R. Et complevit labores illius.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos &c.

AD SEXTAM.

- V.** Deus in adjutorium meum intende.
Es

V. Do-

R. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, &c. R. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Sæviant venti, nivibus rigeſcat
Terra, nox lucem rapiat tenebris ;
It moras rumpens celer, atque vires
Auget eundo.

Jam Deo plenus tonat, audientes
Territat fontes, animos r̄belles
Exuunt, deflent, docilésque Christi
Signa sequuntur.

Antiph. Certus sum, quia neque tribula-
tio, neque fames, neque angustia me se-
parabit à charitate Christi.

V. Dominus mihi adjutor.

R. Non timebo, quid faciat mihi homo.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos. &c.

AD NONAM.

V. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, &c. R. Sicut erat, &c.

Hymnus.

Naufragio portum referat pudori ;
Omnium Patrem studio paterno
Se probat, tristis recreat dolentum

Corpora febre.

Cæteris blandus, sibi durus, hirtam

Induit

Induit vestem, laceratque corpus,
Heu! suo terras quoties cruore
Victima tinxit.

Antiph. Omnibus omnia factus sum;
ut omnes Christo lucrifaciam.

X. Respexit in orationem humilium.

R. Et non sprevit precem eorum.

X. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos &c.

AD VESPERAS.

X. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

X. Gloria Patri, &c. *R.* Sicut erat, &c.

Hymnus.

Dive, quem tantis meritis coruscum
In sinu fovit sacer Ordo JESU,
Applica nostris precibus benignas

Jugiter aures,

Jactitant diræ miseros procellæ,
Adjuva, ne nos maris unda perdat,
Sic per optatos dabirur subire,

Te Duce portus.

Antiph. Iste homo perfecit omnia,
quæ locurus est ei Deus, & dixit ad eum:
ingredere in requiem meam, quia te
vidi justum coram me ex omnibus gen-
tibus.

X. Elegit magis abjectus esse in domo Dei.

R.

R. Quam habitate in tabernaculis peccatorum.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui ad plurimos &c.

AD COMPLETORIUM.

V. Converte nos Deus salutaris noster.

R. Et averte iram tuam à nobis.

V. Deus in adjutorium meum intende.

R. Domine ad adjuvandum me festina.

V. Gloria Patri, &c. **R.** Sicut erat, &c.

Hymnus.

Sancta quoniam dudum beat aula cæli,

Sedes opem plebi facilis petenti,

Fac tuâ victum prece Numen ultrò

Fulmina ponat.

Ah! procul pellas vitii nefandi

Monstra, virtutes revoca parentum,

Sic tibi gratum recinemus imo

Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi compar utriusque virtus

Spiritus semper Deus unus omni

Temporis ævo. Amen.

Antiph. Justus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit; senectus enim venerabilis est, non diurna, neque annorum numero computata.

V. Consummatus in brevi explevit tempora nostra.

R.

- R. Placita enim erat Deo anima illius.
V. Domine exaudi orationem meam.
R. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEUS, qui ad plurimos, &c.

V. Benedicamus Domino.

R. Deo gratias.

V. Fidelium animæ per misericordiam
Dei requiescant in pace. R. Amen.

L I T A N I A

In Honorem B. Joannis Francisci Regis.

K Yrie eleison. Christe eleison.

Kyrie eleison.

Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miserere
nobis.

Spiritus sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, Miserere no-
bis.

Sancta Maria, Ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Beate Joannes Francisce,

Ab utero Matris à Domino vocate,

Ab Infancia piissime,

Ab ipsa Juventutis flore castissime,

Ora
pro
nobis.

Cant-

Carnis illecebrarum vixit constantissime,
Christo vocanti fidelissime,
Religiosi hominis Virtutibus decoratae,
Paupertatis Christi æmule,
Ad obedientiae normam in omnibus composite,
Humanis laudibus infensissime,
Propriæ Gloriæ contemptor generosissime,
In humilitatis abyssis semper absconde,
Abstinentiæ observator rigidissime,
Christo crucifixo comes individue,
Improperijs Crucis inhians assidue,
Christi in Eucharistia adorator ferventissime,
Cælorum Reginæ cultus studiosissime,
Laborum patientissime,
Honoris divini zelator ardentissime,
Venator animarum cupidissime,
Vitiorum profligator imperterritus,
In male nuptis à vitiorum gurgite extrahendis invictissime,
Peccatorum susceptor misericordissime,
Perditissimorum conversione celeberrime,
Opere, & sermone potentissime,

Ora
pro
nobis.

In sublevandis Pauperum miserijs
præsentissime,
Calamitatibus publicis compatienti-
sime,
Lue laborantibus sæpius ultro imolate,
Pauperū Virginum Paren's dulcissime,
Cælestium charismatum abundantia
impinguate,
Contemplationis gratiâ donate,
Sensibus frequentes inter extases de-
relicte,
Benedictionibus dulcedine delibute,
Iterata frumenti multiplicatione no-
bilissime,
A confractione cruris mirabiliter sa-
nare,
Temporum nostrorū Thaumaturge,
In vitandis levioribus culpis feliciter
vigilantissime,
Deiparæ apparitione in extremis re-
create,
Cum baptismali Justitia ante Christi
tribunal præsentate,
Mitissimi Jesu discipule mitissime,
Christi doloribus cū Maria vulnerate,
Pœnitentiæ & innocentiae fœdere
Præcursor alter illustrissime,
Cherubim ardoribus inflammate,
Angelorum puritati simillime,
Patriarcharum fide fulgentissime,

Oratio
pro nobis.

Pro-

80 Lit. B. Joan. Franciſ. Regiſ S. J.

Prophetarum Spiritu afflate,
Apostolorum vitæ imitator egregie,
Martyrum periculis sociate,
Sanctissimis Confessorum operibus
inclyte.

Periclitantium Virginum defensor
strenuissime,

Omnium Justorum meritis plenissime,
Velaunorū, & Vivariensium Apostole,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Ex-
audi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Mi-
serere nobis.

℣. Ora pro nobis beate Joānes Franciſce.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus
Christi.

Oremus.

DEUS, qui ad plurimos pro salute
animatorum perferendos labores bea-
tum Joannem Franciscum Regis Con-
fessorem tuum mirabili charitate, & in-
victâ patientiâ dcorâsti: concede pro-
pitius, ut ejus exemplis instruēti, & in-
tercessionibus adjuti, æternæ vitæ præ-
mia consequamur. Per Dominum
nōstrum, &c.

F I N I S.

Ora pro nobis.

